

Elisabeth von Stenhus, Kanonistin von Breden, gründet ihre Memorie.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ut rerum rite gestarum plenius valeat memoria conservari, cautum est et utile videtur, ut ea, quae gesta sunt, scripturarum inventur testimonio, quatenus omnia, sicuti gesta sunt, si necesse fuerit, liquere possint fidelium posteritati. Proinde ego Elisabet de Lapidea domo, canonica ecclesiae Fredenensis, dignum duxi cunctis Christi constare fidelibus praesentibus protestando, quod ego mediantem gratia salvatoris salubri usa consilio et sana mente et corpore in praesentia iudicis et scabinorum in Fredene necnon et Machorii, officialis domini mei Gerardi ecclesiae Monasteriensis episcopi, constituta domum, quae vocatur Overesch, sitam in parochia necnon et marca Billerbeke, cum lignis, terris, pratis seu cum omnibus suis iuribus necnon et homines eiusdem domus, qui iure proprietatis libere me contingerunt, eo iure et pacto, quo mihi pertinent, Wilhelmo praeposito et conventui ecclesiae Varlarensis, sperans me ipsorum orationibus, devotionibus et piis meritis confoveri, pro remedio animae meae per omnia libere et absolute resignando contuli perpetuo possidendam sub hac forma, quod me decedente dictam ecclesiam Varlarensis in die anniversarii mei memoriam mei faciet perpetuo specialem, in vigilia, in missa et aliis orationibus, quae pro suis fratribus solemniter facere consuevit. Praeterea dicta ecclesia Varlarensis in die anniversarii mei per suum cellerarium pro mea memoria specialiter facienda ecclesiae Fredenensi de iam dictis bonis decem et octo scepel siliginis perpetuo administrabit. Acta sunt haec Fredene anno Domini M^oCCLX nono, feria quarta post octavam Penthecostes, presentibus et protestantibus Ottone iudice, Hermanno et Everhardo dictis Pudit, et Joanne Roian militibus; Mauritio dicto Sintbere,

Gerardo de Bockwinckele, Godefrido de Burse, villico de Merste, Bernardo Swetering, Olrico, Bernardo et Bernardo de Wentfelde fratribus, Lamberto de Vehove, Wenemaro de Overhoff scabinis, Joanne vocato Twent, Stacio de Retho, Bernardo de Burlo, Werenberto Fabro, Gerardo et Rudolpho de Coll fratribus et aliis quam pluribus fide dignis. Ut autem haec firma et rata permaneant, praesentem literam ecclesiae Varlarensis tradidi, sigillis ecclesiae meae Fredenensis et civitatis Fredenensis roboratam.

Kopie im Varlarer Kopiar S. 76. — Hierzu gehört Wilmans III, S. 942 Nr. 1802, wo 1269 statt 1299 zu lesen ist.